



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXX. Gregorii Papae I. Ad Evmdem. Ne episcopi ante hiemem ad  
se veniant, & de compraratione frumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA LXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM.

Tuitionem Cyriaci &amp; Ioannæ commendat.

*Gregorius Petro subdiacono.*

**E**GENTIBVS nostræ commendationis auxilio, oportet nos, in quantum ratio patitur, benignamente præbere subsidium. Proinde experientia tuæ Cyriacum & Ioannam coniugem eius præsentium portitores nostra præceptione duximus commendandos, quatenus a nullo eos contra iustitiam opprimi vel grauari permittas. Sed ubi necesse fuerit tuis, annuente iustitia, solatiis perfruantur; ut, salua æquitate, nostram sibi in omnibus commendationem te concurrente prodeesse lætentur. Quia vero præfata femina, pro eo quod post acceptas sponsalitias arrhas ex Iudæa ad Christianam religionem conuersa est, dicitur sustinere molestiam, & eamdem causam iam dictam asseruit, & finitam experientia tua diligenter exquirat: & si causam iudicatam cognoverit, nullam exinde querebam aduersus suprascriptam feminam ulterius quolibet modo reserpere permittat. Sed quæ iudicata sunt modis omnibus conferuentur, ne ob id quod meliorem partem elegisse dignoscitur, malorum hominum controvrsiis quauntur.

## EPISTOLA LXX.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

Ne episcopi ante hiemem ad se veniant, &amp; de comparatione frumenti.

*Gregorius Petro subdiacono.*

**Q**VIA fratres & coepiscopos nostros in Sicilia insula commorantes, ad beati Petri apostoli natalitium diem conuenisse voluimus, scriptis præcedentibus agnouisti. Sed quia ea causa, quæ cum viro magnifico \* Iustino exprætore dicitur, eorum iter interim præpediuit, & quia iam tempus veniendi & redeundi non finit, eos

S. Leo ep.  
4. c. 7.

Ff iij

nolumus ante hiemem fatigari. Gregorium vero Agrigentum, & Leonem Catanensem, & Victorem Panormitanum per omnia volumus ad te ante hiemem proficisci. Quinquaginta vero auri libris, quas habes, noua frumenta ab extraneis compara, & in Sicilia in locis in quibus non pereant repone, ut mense Februario illuc naues quantas possumus diligamus, & eadem ad nos frumenta deferantur. Sed et si nos transmittere cessamus, ipse naues prouide, & ad nos, auxiliante Domino, Februario mense transmitte haec eadem frumenta, exceptis dumtaxat frumentis quæ nunc mense Septembri vel Octobri iuxta consuetudinem transmitti præstolamur. Ita ergo experientia tua faciat, ut sine alicuius vexatione coloni ecclesiæ frumenta congregentur: quia tantum hic parua nativitas fuit, ut, nisi auxiliante Deo frumenta de Sicilia congregentur, fames vehementer immineat. Naues vero, quæ commendatae ecclesiæ sanctæ semper fuerunt, in omnibus tuere, ad quod tibi etiam directæ glorioſi viri Leonis exconsulis epistolæ concurrunt. Multi vero huc veniunt, qui terras aliquas, vel insulas in iure ecclesiæ nostræ, in emphyteosim sibi postulant dari: & aliquibus quidem negamus, aliquibus vero iam concessimus. Sed tua experientia sanctæ ecclesiæ utilitatem conspiciat, memor, quod ante sacratissimum beati Petri apostoli corpus, potestatem patrimonii eius acceperit. Et licet hinc scripta decurrant, quod utilitatem patrimonii impedit, fieri nullo modo permittat: quia nec nos sine ratione aliquid dedisse reminiscimur, vel dare disponimus.

## EPISTOLA LXXI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

De possessionibus Taurominitanæ ecclesiæ iniuste  
occupatis.

*Gregorius Petro subdiacono.*

QVANTO apostolicæ sedi ab ecclesiis reuerentia ceteris exhibetur, tanto eam in earum decet esse tuitione solicitam. Et quia domus, velfines, vel possessiones Taurominitanæ iuri ecclesiæ pertinentes, ab actionariis di-